



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Imago Primi Saecvli Societatis Iesv**

**Bolland, Johannes**

**Antverpiae, 1640**

Synopsis Totivs Operis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97844](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97844)

Et nouo semper studio numquam interrupta virtutis iuuentutem in ipso senio possidere. Sic nimirum Societas vt Palma, siue, vt ex Græco vertit ille, vt Phoenix floreat.

Denique (quod, ne longior sum, verbo moneo) ternis, quæ ante columnas hinc & inde demittuntur, Emblematis singula singulorum sex librorum huiusce Voluminis argumenta respondent; vnica vbi-que Lunâ Societatem vnicam referente. Hæc enim, non aliter quàm illa, quodcumque habet, seu virtutis seu dignitatis suæ lumen, Soli suo IESV reddit acceptum.

Tert. lib.  
de Resurr.  
carnis c. 13

## SYNOPSIS TOTIVS OPERIS.



MICE Lector, cum propositum nobis hoc Opere sit imaginem tibi quamdam exhibere primi sæculi Societatis IESV; ne fortè diuersam à conceptu nostro tibi representes, opera pretium fuerit totius Operis Synopsim sub aspectum ponere. Itaque quemadmodum in omni vitâ Societas exemplar sui Ducis intuetur, sic in hoc scripto iisdem ferè vestigijs opus suum promouet, quibus CHRISTVS acceptum à Patre minus est executus.

Hic cum in formâ Dei esset, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, & instar mendicabuli in stabulo natus est. Ita Primus Liber Ignatium exhibebit primæ nobilitatis virum ad mendicabula redactum: & exinde natam hanc Minimam Societatem: cuius etiam Institutum compendio describit. LIBER I.  
Philip. 2.

Post CHRISTI natiuitatem hoc de illo memorie proditum accepimus: IESVS proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines. Eius vestigijs insistentes Libro Secundo Crescentem exhibebimus Societatem, & ad hunc annum centesimum longè lateque propagatam. LIBER II.  
Luc. 2.

Confirmatâ tandem ætate, cœpit IESVS facere & docere. Huius exemplo Liber Tertius Societatem producet Agentem, eiusq; varias functiones & exercitia. LIBER III.  
Act. 1.

Sed quemadmodum CHRISTVS, post rem præclare gestam, indigna passus est, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius; ita Liber Quartus Societatem exhibebit Patientem, varijsque calumnijs ac persecutionibus exagitatam. LIBER IV.  
1. Petr. 2.

Rursus quemadmodum CHRISTVS per passionem suam peruenit ad exaltationem nominis (vt loquitur Apostolus) & gloriam nullis terrarum finibus comprehensam; sic Liber Quintus post varias tempestates ac procellas, Societatem dabit Honoratam, & summorum virorum encomijs commendatam. LIBER V.  
Philip. 2.

Denique Liber Sextus, & quasi singularis, quæ de Societate vniuersim quinque Libris tractata sunt, totidem ferè Capitibus Prouinciæ nostræ Flandro-Belgiæ conuenire demonstrabit. LIBER VI.

In hoc Opere si non omnia debitâ accuratatione perpolita, aut ad incudem reuocata deprehenderit; facile, ni fallor, hoc affectui nostro erga charissimam matrem condonabis: qui ne Ludis hisce secularibus deesset, Tomum hunc opinione maiorem, sed vix semestri ab hominibus occupatissimis conceptum, compositum,

tum, ac typis excusum in lucem protrudens, eundem candori tuo benevolentiaque commendat. Vale, & frue. Antuerpie.

Temporis notam non adscribimus. Satis ipsa se prodit solenni illa, qua Sæcularis hic annus celebratur, letitia: & quidem è sacris Paginis petita. Nam siue Sanctorum Cosmæ & Damiani auspicijs (quorum natalis idem est & Societatis) sacri præconis voce inuitamur ad futuram illam proximo S. Ignatii festo, Sæcularis anni celebritatem, quam nemo vidit nec visurus est in posterum; ipsa sacrarum Litterarum verba tempus suum exprimunt,

Psal. 32. EXULTATE, EXULTATE IVSTI IN DOMINO:

siue ipso S. Ignatii festo, Sæculari iubileo iam recreati, Deo grates refundimus; hoc ipsum debita temporis nota his verbis sacre Litteræ consignant,

Luc. 1. EXULTAVIT SPIRITVS MEVS IN DEO SALVTARI.

Tu, si placet, non tempus, alterumve sæculum, sed aternitatem Societati precare.

